

bz & Pharisei, qui legem populo exponebant. Sensus igitur est: Dictum est ab antiquis. Ejusmodi loquendi modus occurrit, *Luc.* 24, 34. Vide. *D. Meissner. in consider. Photinianismi.* Hinc Piscator, *Herbornensis* Theologus non male vertit: *Ihr habet gehörer / daß von den Alten gesaget ist.* Quæ in specie ad unumquodque decem præceptorum volunt esse adjecta, ea invenies circa *Quæstiones in specie ad unumquodque præceptum monita.*

*6. An lex Moralis possit perfecte impleri?*

Resp. Distingu. inter statum hominis ante lapsum, cum homini nulla lex, aut lata, aut ferenda, esset impletu impossibilis: Et inter statum post lapsum, ubi omnis potentia legem implendi evanuit. Qvod patet (1) Dictis Scripturæ *Act. 7. v. 53. c. 13. v. 38.* (2) Perfectissima legis obedientia, quando jubet Deum toto corde diligere, & proximum nostrum sicut nos ipsos, prohibetque non tantum opera externa cum voluntate divina pugnantia, sed & quosvis interiores motus malos. *Deut. 6. v. 5. Matth 5 v. 28. cap. 22. v. 27 28. 29. Rom. 7. v. 18.* (3) Astipulantur Sanctorum querelæ, & confessiones *Job. 9. v. 2. cap. 32. v. 5. 6. 1. Job. 1. v. 8.* (4) Misericordia Filii Dei frustranea fuisset, si lex nobis impletu possibilis foret, *Galat. 3. v. 2.* (5) Antiquæ Ecclesiæ Doctores nobis succinunt, Justinus Martyr, *in Dial Tryp. 1. pag. 252 Iren. lib. 3. cap. 20 Orig. in cap. 3. Rom. Ambros. & Hieron. in Gal. 3. August. Epist. 29. & 1. Ret. cap. 19 Bernb. serm. 50. & 73. super Cant. Cantic.* Variis vero modis olim, & nunc, depravata est hæc de legis impletione, & perfecta obedientia doctrina, unde secuta est ruina de negotio justificationis. Statim cum Lex promulgari debebat, exseruit se humana præsumptio, dicentibus Israelitis: *Quæ locutus est Dominus, faciemus Exod. 19. v. 8.* Sed tamen, humanam imbecillitatem rectius considerans, Moses ingemiscit: *Quis det illis, ut obtemperent? Deut. 32.* Phariseis postea persuasum fuit, legem esse possibilem & facilem impletu secundum vires naturæ, *Matth. 19. v. 20. Luc. 10. v. 25. Cap. 18. v. 11. 12.* & iidem perfectam legis obedientiam misere corrumpabant, *Matth. 5. v. 20. seqq.* dum interiores affectus vitiosos non violare legem censabant. Hinc sensim ratio humana porro apud gentes & multos Patres se extulit, & possibilitatem implendi de legum essentia firmiter statuit. Plutarchus in Solone scribit: *Deus non præcepit impossibi-*